

87.09 (46)

17

DE ACRI IN LATINIS  
OPTIMISQUE LITTERIS  
APUD HISPANOS JUDICIO

ORATIO

IN SOLEMNI STUDIORUM  
RENOVATIONE

A P. LUDOVICO MINGUEZIO  
*á Sancto Ferdinando*

IN SCHOLIS PIIS

DE LAVAPIES HABENDA

Die XII Septemb. anni MDCCCLXXIX.  
*bora V. vesper.*



CUM PERMISSU:

---

Matriti: Typis PETRI MARIN. ANNO DOMINI  
M.DCC.LXXIX.

DE AGRI IN LATINI  
OPTIMAQUE LITTERA  
APUD HISPANOS IUDICIO  
ОГУЮ  
MURIOIDES STUDIORUM  
RENOVATIONE  
A P. EUDOXICO MINGUEZIO  
IN SCHOLIS PIIS  
DE LAVAPIES HABENDA  
DE ZULAMONIUS MDCCXXXIX



CUM PERMISSU:

Mexico: Typis Pata Mariana. Anno Domini  
MDCCXXXIX.



DE ACRI IN LATINIS,  
OPTIMISQUE LITTERIS  
APUD HISPANOS JUDICIO  
ORATIO.

ESTI quisque ferè ita natura comparatus sit , A. O. ut saepe quadam falsa ingenii existimatione , parem se ad injunctum sibi munus obeundum arbitretur , majusque ingenium sibi ac vires , quam impositum onus postulet, inesse putet ; tamen hujus rei, quae à nobis hodierno die suscipitur , magnitudo tanta est, et gravitas, ut facile cujusvis Oratoris, vel in dicendo versatissimi, animum, nedum nostrum, tale ac tantum onus ferre insuetum, debilitare possit ac frangere. Nam rem novam aggredi tento ; rem , de qua usque in hunc diem , quod ego sciam , Oratorem de suggestu dicentem audistis neminem ; rem , cui utpote novae , ac pene singulari plurimi, caeteroqui nominis Hispani studiosissimi, obsistere, atque contraire audebunt. Evidem Oratores antehac in publicis studiorum renovationibus, atque ea , quam natus sum occasione , sive de linguae latinae praestantia, deque via ad eam comparandam expedita , sive de litterarum humaniorum studio pernecessario , sive de tenui in litteris inter Hispanos progressu , aut contra nimis amplificato nostrarum litterarum splendore, sive de artis oratoriae facultate , sive denique de mira Rhetorices cum Poësi conjunctione suas contulerunt orationes , animoque ea cuncta percurrere in deliciis habuere. At verò haec

haec argumenta nulla mihi ratione sumenda duxi: cum enim quamplurimi et ingenio et doctrina praestantes viri hujusmodi rem plenius, fusiusque tractassent; easdem non modo sententias, easdemque rationes iterare, ac repetere, ac veluti eundem clavum trudere neccesse haberem: quod, et à vestris auribus maximè abhorreret, et à gravitate, et decore alienum esse censeretur, sed eorum, qui magna cum ingenii laude de his paeclarissimè egerrunt, vires nostris debiliores, imparesque, arrogantius sane quam ut aequo animo optimus quisque pati possit, traducere merito viderer. Utrumque qua maxima potui diligentia atque industria vitare mihi in animo fuit; multumque et diu cogitanti quodnam argumenti genus apud vos lectissimos viros, maximaque sapientia ornatos deferrem, nullum vel vestris auribus jucundius, vel, ut ignorantiae, imperitiaque nota ab exteris nationibus saepe numero nobis inusta, deleretur, aptius, vel, ut ab adolescentium animis taedium illud, quo plerumque adversus bonas litteras afficiuntur, pro parentum, magistrorumque votis suaviter abstergeatur, opportunius, mihi sese obtulit, quam ut in conspectu adeo frequenti, multoque mihi gratissimo vobis proponerem, acre in litteris humanioribus, latinitateque judicium, quod à saeculo reparatae hominum salutis decimo sexto inter Hispanos obtinuit, summaque nostrorum laude prosperè viguit, jam jam suscitari, denuoque litterarum Orbi reddi. Cum verò ea aetate litterae tam longè processerint, vix adduci poterimus ut credamus, futuris post hac temporibus latinum sermonem, qui jam dudum inter mortales conticuit, nec cultiori stilo, nec majori elegantia pro re nata conficiendum. Amplius equidem mille anni sunt elapsi, cum eodem fato pristini Latii uberrima copia, barbarorum commercio inquinata, sic in novas, foetidasque dialectos sensim evasit, adeoque desuetudine, ac incuria turpiter est contracta, ut Romanae linguae nitor, ac puritas non aliunde, quām ex veterum, qui naufragium

ef-

effugerunt, auctorum classicorum perpaucis libris petenda sit, atque haurienda. Maximam propterea gratiam litterarum studiosissimis, unoquoque saeculo in earum decus, ac splendorem conspirantibus, habendam intelligo. Eorum enim quisque, quoad ejus fieri potuit, sedulam nавит operam, ut а temporis pretiosiora quaeque vorantis injuriis hos codices avellerit, purosque ac nitidos ad nos transmiserit. Quare non possum equidem non animo plurimum angi, cum apud Sapientissimos viros in hac studiorum instauratione rem et novam, et difficilem, et quibusdam fortasse non probandam versaturus sim. Quo mihi magis orandi, atque obtestandi estis, ut hanc nostram tenuitatem, et inopiam studio, alacritate, benevolentiaque vestra foveatis: quas ego res si mihi non deesse sensero, spero me diligentia tarditatem ingenii compensatum. Profecto haud parvo ingenii acumine, breve que rationum, et argumentorum apparatu opus esse videtur, ut vobis palam certumque faciam apud Hispanos fuisse tempus, quo per celebres, et emunctissimae naris, in latina lingua, optimisque artibus extitere viri, qui laborum assiduitate, ac vario elucubrationum genere pro virili sua effecerunt, ut et Italia, et Belgium, et Batavia, et Gallia, omnesque totius Europae provinciae mentium caligine obductae, armorumque strepitu alio distractae, bonas litteras, liberaliumque disciplinarum studia amicis oculis intuerentur, atque adamarent. Quos enim eo temporis spatio nostra tulit Hispania viri (tulit autem quam plurimos), de universo paene disciplinarum orbe multa nobis nitido sermone, accuratoque judicio scripta reliquerunt: monumenta tum sacrae, tum profanae antiquitatis pretiosissima, temporum rubigine confecta, emendarunt, atque in meliorem methodum redegerunt. Fac nunquam extitisse Gracianos, Gonzalezios, Lagunas, Pincianos, Aprileos, Brocenses, Palmirenos, aliosque in recognoscendis, et purgandis codicibus vetustis indefessos, quales hodie graeci, latinique sermonis Auctores habent.

beremus? Non sane illos nitentes, et elegantissimam sui saeculi munditiem referentes, sed invenustos, squalentes, et contracta ferrei saeculi rubigine scabros. Aufer doctos sacrorum dogmatum propugnatores Canos, Carranzas, Leones, qualem haberemus Theologiam? Non sane illam, quae a castigata stili dictione, sententiarum gravitate, optimaque scribendi methodo vigorem firmitatemque derivat suam, sed inanibus argumentis implicatam, et quae in sophismatum, cavillationumque tricas conjecta, nihil ea confert, nisi ut ridiculam, jocularemque Heterodoxi reddant, nostrique in densissimas errorum tenebras iniiciant. Pone nullos extitisse Nebrisenses, nullos Marianas, nullos Stradas in conscribendis Gentis Hispanae domi bellique rebus gestis, qualem historiae speciem habebimus? Nostratum potissimum cura ac vigiliis effectum esse constat, omnes ut artes, latinusque sermo ad id tantum non amplitudinis, dignitatisque fastigium eveherentur, quem ea proculdubio aetate vere aurea tenuerunt, quae Livios, Sallustios, Tullios, caeteros que Romanae facundiae Principes tulit ad latinae linguae commendationem; parumque absuisse putamus (absit dicto invidia), quin Scriptores Hispani sermonis splendore, sententiarum gravitate, eruditionis copia, verborumque vi illos adaequarent. Fieri non posse planè assero, ut latina lingua plurimis abhinc retrò saeculis emortua, tantumque libris, qui superfuerunt, contenta, sive soluta oratione, sive adstricta optimè conscribere perfecteque ea loqui facili negotio possimus. At verò nostra Hispania tot tulit tantosque viros, quos et pura Latii dictione, et verborum proprietate cum summis veterum scriptoribus conferre possemus, ut eos omnes singillatim enumerare mihi longum, et ad memoriā revocare vestris auribus esset gravissimum. Hujus rei testis est Tarragonensis Archiepiscopus Antonius Augustinus, qui praeter summam, ac propè immensae eruditionis copiam, qua praestantissimi juxta ac doctissi-

78

simi Pauli Manūfii sententia omnes ejus aetatis Scriptores  
longe superabat ( antiquitatum enim studiosis institutio-  
nes praebuit , legum sacrarum peritos edocuit , juri  
civili deditis novam facem praetulit , omnes denique  
avide ac certatim sese ejus doctrinae subdiderunt ) ; ea  
illi erat sermonis latini puritas, is nitor ac elegantia , ut  
cum libros ab eo confectos evolveritis , nos in alicujus  
veteris opus incidisse putaretis. Testis est celeberrimus,  
nullique ulla in re comparandus Benedictus Arias Mont-  
tanus , summorum omni genere virorum feraci Baetica  
editus , qui se unius vel artis , vel scientiae , vel linguae  
intra limites coercere aegrè ferens , contra ea omnia  
complectendi , longèque veteres superandi cupiditate  
flagrans , se ita totum primarum linguarum cognitioni , et  
praecipue , quae jam omnino defecerant , Hebraicae nem-  
pe , et Graecae , et Latinae tradidit , ut hujus viri suavissi-  
mum os , quo sui aevi nationes vocis sonum emitterent ,  
organum ; stilumque ejus acerrimum , eum fuisse , quo et  
Hebrei , et Graeci , et Latini Scriptores usi sunt , jure me-  
rito existimaretis. At verò quo stili nitore , qua dictio-  
nis puritate , quo verborum delectu , et elegantia ? Si ves-  
tram in ejus lyrīca carmina oculorum aciem intenditis ,  
in dubium profectò adducemini , mihi credite , utrum  
lyra canentium facile Princeps Horatius eadem ipsa  
conscripterit , an eo per plures annos tam conjunctè  
vixerit , ut ab eodem Venusino Poeta simul cum numi-  
ne ac furore puram locutionem , nativumque sermo-  
nem hauserit. Tali verborum potestate , canendique vi  
sese experimentem miramur. Testis est Johannes Petrus  
Perpinnanus , cuius de laudibus , dum litterarum premium  
manebit , nulla unquam aetas conticescat , quem ut Ro-  
manae eloquentiae Principis industrium sectatorem stu-  
diosae juventuti omnes ad unum commendant , quique  
his temporibus in Ciceronis locum et orationis gravi-  
tate , et mascula , ut ita dicam , dicendi vi , successisse vi-  
detur , cui uni denique contigit , suo diligenti in Cice-

rone perlegendo studio , assiduaque stili exercitatione ( quem ipse Tullius modò dicendi opificem , modò optimum , ac praestantissimum dicendi effectorem vocat ), ut in succum et sanguinem , si ita loqui licet , eumdem eloquentiae Parentem mirifice converterit . Ita Ciceronis vestigia adamus im premens , ne tantillum quidem ab eo discedere passus , saepenumero factum est , ut cum ingenii praesidia non deessent , eximiaque natura , tam vivo eloquentiae genere , tam illustri , tam sanitatis , et succi pleno inter dicendum uteretur , ut cum causam quondam nactus esset tantam , quantam nulla cujusquam eloquentia tractandam suscepit , oratio ejus ea volubilitate sermonis flueret , eo dicendi ardore vehementi , ac gravi , ut minimè mirum debeat videri , talem in Hispania , ac in media Italiae luce extitisse , qualem Aristophanes Periclem descriptsit , ut tonare , fulgere , permiscere civitates videretur . Quid autem hos , aliosque innumeros , quos dedita opera silentio transmittendos duxi , memoria repetere immoror ? O fortunatam tali virorum acie ornatam Hispaniam ! O beatissimum regnum , quod tot ac tantos uno aevo praestantes viros , qui simul cum acri judicio , et eruditione , orationis quasi exultantis ubertatem junxerunt , ex sese edidit ! Cumque certo certius constet , ne actum agere videar , latinam linguam jam diu inter emortuas annumeratam ex veterum auctorum tum lectione , atque animadversionibus , tum imitatione effingendam , quis inficiari poterit , Hispanos in hoc humanitatum studio ac labore palmam ceteris prae-ripuisse , totamque imitandi artem adeò recte tenuisse , ut veterum , in dictione casta , in inventione , in cultiori stilo vestigiis insistentes , suos prorsus reddiderint , multumque ad exemplaria , quae imitanda sibi proposuerant , accesserint ? Orationis porro divitias ac copiam , figurarum varietatem , venustatem locutionum , rectamque scribendi methodum , quibus omnibus , vera ac genuina imitatio , Quintiliani judicio , sita est , quis non temere negare

audebit? Igitur Hispani, inquies, coeci veterum imitatores effecti sunt, nimiaque eos sibi effingendi cura, in servitutem illam evasit, de qua Horatius, *o imitatores servum pecus?* Absit talem ignominiae abjectique animi notam celebriores in Hispanos impingamus. Haccine macula Poetarum latinorum facilè Principem perstin-gemus, quod dum varia carmina pangebat, vel Homerum, vel Hesiodum, vel Theocritum undequaque aemulatus est, qua de re mirum evasit exemplar posteris imitatione assequendum? Fieri plane posse con-fiteor, ut nonnulli reperiantur, qui novam viam, qua nullo duce adhibito, eos veluti manuducente, possint incedere, sibimetipsis aperuerint; at verò et ii rari sunt, et adeò perpauci, ut adinstar prodigii censendi sint. Foecundioribus quidem ingeniosis, quo et incres-cant, majusque accipiant incrementum, aliquo admi-niculo opus est. Animum enim nostrum, ni plena idea-rum, cogitationumque ubertate abundet, quem foetum editurum putatis? Frustra equidem nervos omnes conten-deremus, si quod natura monente volumus, inquit Cice-ro, id sine cuiusquam similitudine consequi auderemus; ni, quae nostra perficiat, imitatio accederet, animique sensus. In seligendis verò auctoribus, qui imitationi viam nobis sternant, maximè cavendum, acrique judicio no-bis adhibendum est, ut internoscere possimus cuinam vel lectioni, vel operi, vel auctori operam nostram navare debeamus. Quod optimum, quod perfectè elaboratum, quod omnibus numeris absolutum veteres scriptum reli-querunt, id, per eorumdem opera, ut apis sedula per-vagantes disquirere debent recentiores. Virgilium pro-fecto ex veterum Poetarum obsoletis scriniis, Ciceronem ex Ennii stercore, inanique graecorum loquacita-te, quas ille suis operibus intexeret, hic suas ornaret orationes, margaritas eruisse pro comperto habemus. Qua ex re haud nobis facile dictu est, quali ac quanto judicio opus sit, ut optimos auctores prae aliis se-

ligamus; quaeque in eis imitatione digna invenerimus,  
 ad amemus. Hoc igitur navum, acre, ac diligens in ser-  
 mone latino confiendo judicium, hunc in litteris huma-  
 nioribus, uberrimaque dicendi arte quasi gustum, has de-  
 nique ex sermone tum latino, tum graeco in vernacu-  
 lum versiones, quibus Hispani, prudentissimi juxta ac  
 sapientissimi Regis Philippi II. auspiciis sedulam ope-  
 ram collocarunt, magna animi nostri laetitia ac volup-  
 tate renovari, denuoque instaurari intuemur. Quisqui-  
 liae enim, naeniaque pene innumerae, quas olim pue-  
 ri edocebantur, quaeque maxima temporis jactura, men-  
 tiumque perturbatione, eorum in pura, nitidaque lati-  
 nitate cognitionem summopere retardabant, ac impe-  
 diebant, optimorum magistrorum censoria virgula no-  
 tatae, publicis gymmassiis in praesentiarum exulare ju-  
 bentur: illa gravis, atque immensa grammaticarum ob-  
 servationum moles, qua tenella puerorum memoria mi-  
 rum in modum lassabatur, ac pondere oppressa propè  
 deficiebat, rejici è Scholis coepta est: libros barbaris-  
 mis oppletos, qui munditiem, et Latii nitorem detur-  
 pabant, è manibus passim projiciunt juvenes studiosis-  
 simi: parentes, qui filios suos, ut communiores latinae  
 grammaticae regulas tantummodo ediscerent, erudien-  
 dos tradere solebant, quae res per Hispaniam multos  
 annos in more fuit posita, huic non acquiescunt ina-  
 ni studio, quin potius lenti, ac spectati viri, post pau-  
 cas, utilesque has à pueris memoriae diligenter man-  
 das regulas, post versionem et latinorum et hispano-  
 rum auctorum haud ignobilem, eos ita oratoriae faculta-  
 ti, poësi, historiae, veterum ritibus, locorum antiquorum  
 descriptioni, quae omnia sub humaniorum litterarum no-  
 mine cadunt, magna sui voluptate, filiorumque emolu-  
 mento dare operam cogunt, ut duorum, triumve anno-  
 rum spatium in his studiis amoenissimis peragant. Pueros  
 hodierna etiam die reperiri licet, qui eloquentissimas Ci-  
 ceronis orationes coram amplissimis, ac frequentissimis

virotum coetibus, veluti definientes, qua illarum parte  
 firmiora insideant argumenta, quae vis et robur eis insit,  
 quave verborum potestate, stilique nitore fuerint scrip-  
 tae, adstantibus digito prope commostrant: juvenes repe-  
 rietis studiosos, quibus in amore ac deliciis Musae, ha-  
 rumque cultores habentur, Poëtarumque c'arorum ope-  
 ra nocturna et diurna versant manu; neque prima fron-  
 te, quae multos decipere solet, contenti, operum ab-  
 dita, ac secreta, auctoris scilicet mentem, imagines fi-  
 gurarum, artem, stilum penitus introspiciunt ac per-  
 meant, quiique maxima possunt navitate, et poëmatum  
 causas, et regulas in eis conficiendis perpendendas, et  
 praecepta denique ab Horatio in sua summis laudibus  
 extollenda Poëtica arte tradita, se probe callere haud  
 obscurum specimen omnibus praebent. Quae omnia  
 cum ita à juvenibus effici videamus, quid, quaeso, A.  
 O. aetate proiectiores aggredientur? Quodvè eruditio-  
 nis opus vel politissimum non tentare audebunt? Non-  
 nulla jam cum rhetorica, cum poëtica opera Academia-  
 rum suffragio, ac praemiis laureata in lucem prodeunt:  
 oratoriam artem magna ex parte neglectam, ac pe-  
 sumdatam in pristinum, nativumque splendorem resti-  
 tui conspicimus: panegyricos, et funebres laudationes,  
 quibus elucubrandis unum vel alterum dumtaxat anti-  
 quitatis exemplar nobis superest, perfectè elaboratos  
 invenietis quam plurimos. Quid ita? Assidua, et accu-  
 rata librorum lectio simul cum ordine, et delectu insti-  
 tuta est; evolvuntur vel horis succissivis optima quae-  
 que latinitatis, et eruditionis exemplaria: puerorum ocu-  
 li venustissimis, atque elegantissimis, Terentii, Nepo-  
 tis, Phaedri codicibus pascuntur: Nasonis copia, Maro-  
 nis elegantia, et majestate, Caesaris gratia et decore  
 eorum animus exsaturatur; omnium denique mentes,  
 dum Romanae eloquentiae parens cunctorum manibus  
 teritur, ejus prope divino succo nutriuntur. Hic equi-  
 dem, coeterique Scriptores, qui sub Augusto floruerunt  
 et

et domi, et ruri, in urbe, in rusticationibus, in itineribus diu noctuque nobis evolvendi sunt, licet sermonis latini, optimarumque litterarum summas attingere tantummodo contendamus; eum verò perfectionis gradum, quo Latium viguit, nos ut hac aetate assequamur, fieri non posse, ne mea nimis protrahatur oratio, paucis absolvam. Luce enim meridiana clarius videtur, neminem etsi verba, et locutiones veterum oppido contempletur, vimque eorum perpendat, efficerre posse, ut latino sermone rectè omnino loquatur, vel scriptoris proprietate priscos latinos sibi pares reddat, satisque habiturum, maxima ingenii cura, scribendique usu praemissis, si ejus opera latinè confecta, veterum speciem praese ferant, antiquitatemque redoleant. Num ignari estis, quantum curae, et laboris, quotquot ad nos ex variis, disjunctissimisque Europæ partibus adeunt exteri, vigenti hispanae linguae impendunt, quin in ea loquendi, scribendique facultatem, ut nos, adsequantur? Quod si nonnulli ejusdem verba mente concipient, eaque sese exprimere tentent, neque proprie, neque nitide, neque eleganter id praestare posse facile videtis. Fac postremo hispanum idioma, quod quidem latino contingit, parvo optimorum librorum numero contineri, quisnam se id probè callere, in eoque disertè loqui gloriaretur, perfectamque in eo loquendo cognitionem sibi arrogaret? Huc accedit discrimin, idque gravissimum, quod latinam inter et hispanam linguam interesse omnibus in propatulo est; illa enim, neglecta simplici ac vulgari dispositione, orationis partes, aliis in locum aliarum abeuntibus, varie et artificiosè commutat, ac invertit; haec neque transgressione utitur, et verba loquendique modum, idearum serie ac ordine servatis, disponit ac collocat; illa in verborum collocazione strictas leges, et regulas praecipuas servat; haec autem et verborum ordinem, et locutionum seriem cum vigentibus et emortuis linguis habet communem.

Missa facio haec aliaque impedimenta, etsi gravissima, meaque sententia, insuperabilia. Quis enim verborum vim ac potestatem apprimè noscet, eorum insuper integrum significationem, phrasium naturam, et infinitos propemodum illarum usurpandarum locos? Ecquis etiam eadem latina vocabula, et dictiones, innumeris auctorum locis, quibus passim usurpantur, adhibitas legerit? Ad hanc quidem absolutam verborum latinorum notionem comparandam assiduo familiarium colloquio, convictu, consuetudine nobis opus est: pauculos verò libros latinè conscriptos sufficere, ac esse sat, prorsus nego. Cicero in eximio Tusculanarum opere magnam adhibuit curam, ut hujus vocis *Aegritudo* significationes varias, quibus apud Romanos in usu erat, rectè exprimeret. „Aegritudo, inquit, est opinio „recens mali praesentis, in quo demitti, contrahique ani- „mo rectum esse videatur. Aegritudini subjiciuntur an- „gor, moeror, dolor, luctus, aerumna, afflictatio. An- „gor est aegritudo premens; moeror, aegritudo flebilis; „aerumna aegritudo laboriosa; dolor, aegritudo crucians; „afflictatio, aegritudo cum cogitatione; luctus denique, „aegritudo ex ejus, qui charus fuerit interitu acerbo. Perpendite, quaeso, A. Gravissimi, perpendite, qua-  
vestra est mentis perspicacia, hunc Ciceronis locum, hujus vocis significationem nasutè distingite, bonaque fide fatemini, ni Cicero, coeterique Scriptores lati- num hoc vocabulum, aliaque multa aperuisserint, futurum ut peritissimum quemque hominem lateret. Etsi itaque recentiores, nulla alia verba, nullas alias loquendi for- mulas, quam ab Cicerone et Livio usurpatas, integre ex eorum operibus excerpterent, suisque ingererent, dici minimè posset, eos et cum mundicie, et elegantia, et nitore idioma latinum scribere, sed verum plagium com- mittere, cum satis superque constet, stilum, quo scrip- tor maximè pollere debet, non in sola tantum phraseo- logia consistere, sed in ipso etiam totius orationis ha-  
bi-

bitu. Quis igitur nos sécuros reddet , cum hanc illam-  
ve ex auctoribus phrasim depropserimus , sermonis  
puritate nitere , cum lippis et tonsoribus nota sit litis,  
quam historiae Romanae Principi jam diu movit vir  
ingenio , et eloquentia clarissimus Assinius Pollio? In  
Livio enim quandam Patavinitatem , sive locutiones  
quasdam , quae Patavinum , ut ita dicam , solum sape-  
rent , inesse existimabat. Fieri enim sanè potuit , ut ho-  
mo Patavinus levia loquendi vitia, quae politas, et religio-  
sas Romanorum aures laederent , dediscere plane non  
quiverit. Quis, inquam, nos tutos praestare poterit , locu-  
tionem ex Livio á nobis excerptam, his naevis, Patavini-  
tateque , quae Romanorum oculos magna ex parte falle-  
bant , carere , esseque immunem ? Quae cum ita sint,  
A. O. non possum non statuere , bene cum illo pro-  
fectò agendum esse , qui post assiduam , et nunquam  
lectionem veterum intermissam , hoc tempore sermonem  
latinum confecerit , qui auream aetatem sapiat , eamque  
ineat dictionis similitudinem , adcuratumque judicium,  
quo in litteris humanioribus veteres viguerunt. Has ergo  
bonas litteras summo studio excolite , in eisdemque om-  
nem vestram curam , industriam , diligentiamque collo-  
care festinate ; neque emunctissimae naris viros , qui  
Prudentissimi Regis dominatu floruerunt , otio , desidia-  
que vestra aemulari dedignemini , hoc potissimum tem-  
pore , quo et litteras , earumque cultores Augustissimus  
Maximusque Rex noster Carolus III. summa complec-  
titur , ac fovet benevolentia , quo tandem fiet , ut cum  
vos praeclaram hanc bene de litteris merendi occasio-  
nem é manibus non dimittatis , ita in has incumbatis,  
ut studia vestra et patriae utilia, et vobis quam ma-  
xime sint gloriosa.

## D I X I.